

## VICTORIS PÖSCHL PIAE MEMORIAE

Dic, Musa! Vitae participem virum,  
cui magna vivo gloria contigit,  
vocasne mortalem? supernas  
num dubitas reserare mensas?

Conviva vita laetus ut exiit,  
firmare mentes atque animos potens  
lenire regali loquela,  
symposiarchus honore dignus.

Non respuebat seria, non iocos;  
magni putabat magna, minutias  
curasque muscarum minores  
despiciens aquilae volatu.

Immota virtus non refugit Styga,  
dolore forti fortior evenit,  
morbos et aerumnas sereno  
dissimulat generosa vultu.

Ducente tangis Vergilio nemus  
Sallustianis pulchrius hortulis:  
te lingua Tulli, vox Horati,  
teque tacens Tacitus salutat.

Victoris altrix tum Polyhymnia  
Fontes recludit Castalios, refert  
arcana sermonis Latini,  
vivificans animos iacentes.

Lugere noli, Musa! Legentium  
nunc ora, Victor, pervolita vicens!  
Quae vita sit, nescit caterva  
mortua. Tu sapis atque vivis.

MICHAEL VON ALBRECHT